



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1687

Lectori Benevolo.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)

Lectori Benevolo.

Aud me fallit, & noctuis in meridiana luce; & literatis, in tantis eruditorum hominum splendoribus comparere, periculosa esse opus plenum alea. Neque enim tot volucrum rostris sub ipsum meridiem, illa obnoxia sunt; quot calamis, limis, & prope lanienis Censorum libri primura in lucem editi. Hic stilum carpit, illi inventio displicet, aliis prolixitas, aliis brevitatem movet. Ita identidem scriptor pro plausu sentit flagellum tot scorpionibus, quot Theonis morsibus armatum. Verum me ista minimè morantur, qui non tam hominibus, quam Deo meo placere exopto; nec popularem auram, sed animas pretioso Christi sanguine redemptas captare intendo. Votum enim meum unicum est, ut ubi vox mea sepulchrali lapide intercepta, ultra audiri nequiverit vel ex emortuo hoc codice percipiatur, eoque constantius peroret, quo securius in posteros propagatur. Vero enim verius est Reverendissimi Spanhaimensis Abbatis apophthegma: Major est scriptoris pietas officio Prædicantis, quia istius cum tempore perit monitio, illius perseverat in annos multos enuntiatio. Prædicator loquitur dumtaxat præsentibus, scriptor prædicat etiam futuris. Illius sermo semel auditus in nihilum redigitur; istius lectio millies repetita nunquam minuitur. Cum Prædicator deficit, cessat officium, scriptor etiam mortuus in volumine moribus facit institutum. Hoc animo, aliisque inductus rationibus Exedram hanc, tribus tomis compaginatam erexi: Quorum primus complectetur Conciones in Dominicis minimam binas, partibus suis discretas. Alter Festivitates Domini, & Domina nostra comprehendet. Terzius in festa servorum sanctorum colophonem imponet. In iis cum Lipsio eruditissimo, ingenue, liberèq; fateor, lapides & ligna me ab aliis accepisse, solam prope constructionem meam esse. Architectus ego sum, sed & materiam variè undique conduxi. Quod si etiam ad normam cuiuspiam conceptus in aliqua Concione accessero; (non enim tantum sublimia, sed & mediocria identidem conspirant ingenia,) sanctè contestor, in meas manus ejusmodi Authores, atque oculos necdum incidisse. Tu interim benevole Lector vale, & fave. Brunbergæ, Anno 1687.

Trithemius
Libro de
scriptor.
laud. c. 6.

Lipsius
in Poët.

Facul-